

circulatio ignis vel aeris quam ex motu firmanenti, dicit Aristoteles provenire, primo Meteor. non est ei naturalis, quia non causatur ex principio intrinseco, neque iterum est per violentiam, sive contra naturam, sed est quodammodo supra naturam, quia talis motus inest eis ex impressione superioris corporis, cujus motum ignis et aer sequuntur secundum perfectam circulationem aqua vero secundum circulationem; incompletam, scilicet secundum fluxum et refluxum maris.' Ita D. Thomas, qui motus locales sunt, et constat non esse violentos, quia non movent elementa extra proprium locum, sed in suo proprio loco conveniunt: quod si a loco suo suo amoverent, contrariaretur ista circulatio ignis vel aeris motui sursum, quo naturaliter moventur ista elementa, et fluxus maris contrariaretur motui deorsum, quo movetur aqua, quod stare non potest, quia motui sursum solum contrariatur motus deorsum, et e contra quia unum uni est contrarium, ut patet per Philosophum 1 de Caelo, text. xi. Non ergo circularis motus istis elementis in proprio loco conveniens, contrarius est, et consequenter neque violentus: naturaliter autem non est, quia non est a principio intrinseco, et sic est præternaturalis.

Dices: Ergo quando aliquod corpus, verbi gratia, tota per impulsionem impressum circulariter movetur, etiam ille motus non erit violentus, et sic non habebit contrarium in illa rota; ergo neque a quo corruptatur, et sic semel impressus circularis motus, nunquam desinet, nisi ab extrinseco detineatur. Respondetur quod ille motus rotæ necessario fit per aliquem impulsionem, qui est qualitas distincta a gravitate, et levitate, ut in octavo libro amplius dicitur. Hæc autem

qualitas nisi continue imprimatur a motore, evanescit, quia est in subiecto extraneo, et solum per modum transeuntis imprimitur, sicut species in aere, et molio in instrumento, est enim impulsus instrumentalis quædam molio, quia de se ordinatur ad movenda instrumenta exteriora; unde de se non est permanens, sed desinit, nisi continuo instauretur. Unde ex defectu ipsius etiam si non detur aliud contrarium desinet ille motus rotæ, sicut desinet motus circularis cæli, et ignis, et aeris, cessante Angelo movere, ut libro octavo dicitur.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ. Ad locum Aristotelis respondetur ibi sumere violentum non stricte, sed lato modo, ut etiam includit præternaturale; cum enim violentum duo includat unum ex parte principii activi, quod sit extra, alterum ex parte passivi, quod sit contra ejus naturam, tunc est violentum stricte dictum, quando utrumque includit, tunc autem lato sumitur, quando alterum tantum, videlicet quando accipitur pro motu solum, ut a principio extrinseco, sive passum resistat, sive non, et hoc modo includit motum contra et præter naturam; et sic verum est quod omnis motus aut fit vi, aut natura, id est, a principio intrinseco, vel extrinseco; sed non omnis fit contra naturam aut a natura. Et hunc esse legitimum sensum Philosophi constat, quia postquam dixit omnem motum fieri aut natura, aut vi, subdit: « Quippe qui violentus sit præter naturam, » intelligit ergo nomine violenti aliquid præternaturale.

Ad rationem respondetur, omnia corpora propendere in locum determinatum, a quo si extrahantur, violentiam patiuntur; sed tamen dari potest motus, quo neque extrahantur a suo naturali loco, neque ad illum tendant, sed quo in loco pro-

prio moveantur a superiori agente, ut de circulatione ignis et fluxu maris dictum est. Quod vero dicitur cælum violenter moveri, jam supra rejecimus, et est expresse contra Aristotelem 1 de Caelo, a text. ix, eo quod cælum neque est grave, neque leve, cum naturalis ejus locus est motus non sit in centro, nec a centro, sed circa centrum. Videatur ibi D. Thomas lectione quinta.

## QUESTIO X.

DE CAUSA IN COMMUNI.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Quæ sit definitio causæ in communi, et quæ conditiones causæ?*

Quid sit causa in actu primo, et per modum principii, ex ipso actu secundo, quod est causare, investigationem est. De hoc vero magna varietas inter auctores oritur, eo quod difficile est assignare aliquid commune omnibus causis in ratione causandi, quod non dicat solum rationem principii vel termini, a quibus etiam res pendent, et non ut a causis, et in Divinis invenitur unum esse ab alio sine aliquo causalitatis genere. Constat autem apud omnes nomine causæ intelligi aliquid, quod sit principium, sed quia non omne principium est causæ, sed latius patet principium, quam causa, et causa quam elementum, ut S. Thomas notavit v, Metaphys. in principio, oportet assignare differentiam, quam addit causa supra rationem principii, quæ sit contractor principio, et latior elemento.

Aliqui ergo diffidentes invenire aliquam definitionem communem omnibus causis, dixerunt nullam dari definitionem causæ in communi, quia est quid analogum ad om-

nes modos causandi, et ita prius est dividenda, quam definienda, sicut fecit Aristoteles in ii Physic. et in v Metaph. Sed certe mirabile est, quod possimus definire principium in communi, et illud definit Aristoteles in initio v Metaph. dicens: « Quod omnibus principii commune esse primum, unde aliquid est, aut sit, aut cognoscitur; » et solet etiam defini principium *id a quo aliquid sequitur*; et tamen quod causa in communi non sit definibilis, cum multo magis analogum deberet esse principium, quam causa, cum sit aliquid communius, omnis enim causa est principium, sed non e contra. Et præterea analogæ sunt definibilia, quia de illis potest dari scientia, sicut patet in ente; ergo etiam si causa sit analogæ ad omnes quatuor causas, poterit tamen defini, et dato quod essentialiter non defineretur, saltem descriptive posset defini penes aliquas conditiones communes omnibus causis, sicut est dependere ex parte effectus influere ex parte causæ, et similia; ergo non est omnino neganda definitio causæ: ut, omittam non esse ita certum causam communi esse analogam ad omnes quatuor causas, ut sequenti articulo dicemus.

Varie ergo divisi sunt auctores in explicanda ratione causæ in communi, fortassis ex eo quod inadequate consideraverunt conditiones ad causam requisitas. Aliqui enim consideraverunt ipsam causam ex parte causæ; alii ex parte causati. Ex parte causæ consideratur influentia, seu derivatio principians causatum: ex parte vero causati consideratur dependentia, et consequutio in esse, et consequenter distinctio a suo causante. Aliqui ergo definiunt causam sic: Causa est *id quod per se infuit esse in aliud*. Ita P. Suarez: quam definitionem aliqui paululum mutant dicendo, quod causa

est *id ad quod sequitur effectus*, ut P. Rubio, quia tamen videtur petere principium, supponit enim in definitione id de quo quaeritur; quaerimus enim in quo consistat aliquid esse effectum, et recipere influxum per modum effectus, cum multa deriventur ab aliis, et non sint effectus, ut duae Personae in Divinis. Alii definiunt: Quod causa est *id a quo aliquid per se pendet*, ut Conimbricenses hic et Fonseca. Alii dicunt: Quod causa est *id a quo aliquid sequitur*, quam definitionem multis locis tradit D. Thomas ut videri potest in Physic. lect. x, et q. x de Potentia, art. 1 ad 3, opusc. xxxi. Alii, ut Avicenna, dicunt: Quod causa est *quae tribuit esse rei*, in quo non differt a prima definitione: idem enim est dicere, tribuit esse, et influit esse, et eandem patitur difficultates, ut infra dicemus.

Veritas tamen est, quod perfecta definitio causae omnes istas exigit condiciones, et per alteram tantum non perfecte explicatur: exigit enim rationem principii tanquam aliquid communis, exigit rationem influentiae, seu derivationis ex parte causae, exigit dependentiam, et consecutionem in esse ex parte causati; unde sequitur, quod intercedere debet diversitas inter causam et causatum. Et ita D. Thomas in diversis locis tradit istas condiciones, significans ex omnibus coagmentandam esse definitionem causae. Nam in 1 Physic. lect. 1, dicit, quod causae dicuntur, ex quibus res dependent secundum esse suum vel fieri, ubi per dependentiam in esse, causam definit. Item 1 p. q. xxxiii, art. 1 ad 2, dicit: « Quod hoc nomen causae videtur importare diversitatem substantiae, et dependentiam alicujus ab altero, quam non importat nomen principium. » At vero in v Metaphys. lect. 1, inquit: « Quod principium ordinem quemdam im-

portat; hoc vero nomen causa influxum quemdam ad esse causati; » ubi causam per influxum definit. Denique, locis supra citatis definit causam per consecutionem causati dicens: Quod causa est *id ad quod sequitur*, scilicet sequela physica et quoad esse. Ex hoc autem colligimus, has definitiones non esse sibi contrarias, sed unam adjuvare aliam, et explicare quod in altera deest. Et sic possumus ex illis omnibus colligere plenam causae definitionem dicendo: *Causa est principium alicujus per modum influxus seu derivationis, ex qua natum est aliquid consequi secundum dependentiam in esse*. Principium ponitur loco generis, et excludit ea a quibus aliquid pendet, non ut a principio sui, sed ut a termino, vel medio, sicut relatio pendet a termino, quantitas ab indivisibili terminante, vel continuante. Per modum influxus ponitur ad assignandam rationem causalitatis, et differentiam a principiis, quae sine influxu aliquid inchoant, ut privatio, et terminus a quo, quae important principium motus secundum influxum, sed tantum ordinem in id quod ab eis principiatur. Et similiter excluditur conditio sine qua non, ut applicatio, quia non importat influxum, neque rationem principii, sed aliquid concomitans, et requisitum. *Et quae natum est aliquid sequi* ponitur ad assignandum alteram conditionem causae, quia non sufficit quaelibet derivatio influxus ut sit causalitas, sed talis influxus esse debet, ut ab illo dependeat in esse id; quod causatum est, et sic excluditur generatio et spiratio in Divinis, quae licet communicent naturam Divinam et esse, tamen illud esse non est dependens; sed est illudmet quod est in producente communicatum. Neque oportet, explicare in hac definitione, quomodo sequatur

unum ex alio, an in actu primo, vel secundo: definitio enim data procedit de causa in actu primo dicendo, quod est principium alicujus, principium autem est actus primus.

Sed objicies: Nam imprimis istae definitiones non explicant, quid sit ipsum causare, sine quo non potest intelligi quid sit causa: nam si dicatur, quod sit influere, aequae obscurum est atque ipsum causare, et in Divinis datur influxus et productio, et non datur causa. Nec obstat quod ibi datur influxus in alium, id est, in personam, non in aliud, id est, in esse; nam si sufficit ad rationem principii, quod non sit in aliud, cur non sufficiet ad rationem causae, vel saltem cur non sufficiet, ut ipsa persona, in quam fit influxus, et productio, sit causata, licet non ipsa natura. Si vero dicatur, quod causare est sequi, instatur, quia ex die sequitur nox sequela physica, et ex vita mors, ex effectu illative sequitur causa, et ex privatione motus, et in Divinis ex parte sequitur Filius in quibus tamen non invenitur ratio causae. Si vero explicetur causare per hoc, quod est causatum dependere ab alio, restat videre, quid addat dependentia super ipsum procedere, ut non sufficiat processio ad rationem causae. Et praeterea multa dependent ad aliquo, a quo non causantur, ut relatio a termino, motus a privatione, linea a puncto, essentia a suis praedicatis, humanitas a Persona Verbi, quae tamen omnia causalitatem non dicunt. Denique, istae definitiones magis videntur attendisse ad explicandam causam efficientem, quae caeteris videtur manifestior, quia influere solum convenit causae efficienti, finalis enim non influit vero influxu, nisi mediante actione agentis; materia etiam non influit, sed recipit, et forma actuali, et similiter exemplar non influit, sed imitationem sui per

cogitationem praebet; solus ergo influxus causae, non explicat nisi causam efficientem.

Respondetur instantias allatas non esse efficaces, nam ratio causae non explicatur per solum influxum quomodocunque, sed per influxum in ipsum esse, ita quod oriatur novum esse, vel saltem novus modus essendi, et consequenter cum dependentia, et limitatione, et diversitate unius ab alio, sicut dicit D. Thomas v Metaphys. citato, quod causa est quae habet influxum non quomodocunque, sed in esse causati; et 1 part. p. xxxiii, citata addit, quod causa et causatum important diversitatem in substantia. Influxus ergo cum istis conditionibus explicat rationem causae, non sine illis, neque ita obscure se habet sicut ipsum causare. Nec convenit Personae Divinae etiam in quantum Persona, quia licet fit procedens, non tamen cum illis conditionibus explicatis, scilicet cum diversitate et dependentia in esse.

Ad id quod opponitur contra explanationem causae, per hoc quod sequatur aliquid ex illa, respondetur quod intelligitur sequela cum eisdem conditionibus, quibus ipse influxus, scilicet quod sit sequela physica, quae dat esse non logica, quae solum praebet illationem, et sequatur esse novum et distinctum quod non contingit in Divinis processionibus; et similiter si ista sequela rei causatae debet esse per influxum, consequenter excluditur terminus a quo, ut quando ex nocte fit dies, vel ex vita mors, etc. quia ab illis sequitur aliquid, ut a terminis, qui relinquuntur, non ut a principiis, quae influunt et tribuunt esse.

Ad id quod dicitur, quod multa dependent ab aliquo, a quo non causantur, respondetur quod si dependent ab aliquo tanquam a tribuente

et influente esse, dependent ab illo, ut a principio causante. Si vero dependent ab aliquo, ut a termino qui pure terminat, sive ex parte termini a quo, sive ex parte termini ad quem, vel si dependent ab aliquo, ut a conditione applicante, sic istæ dependentiæ non constituunt causam, quia non sunt principia influxus. Et eadem ratione subsistentia Divina non-causal humanitatem in Christo, quia non se habet ut influens in illam esse, sed pure, ut terminans in ratione suppositi incommunicabilis, sicut linea terminatur puncto.

Ad ultimum respondetur quod influxus accipitur in definitione largo modo pro omni eo, quod est tribuere aliquid esse, et facere illud dependens a se. Tribuere autem et influere explicatur per ordinem processus ab aliquo, ut a continente et radice, unde originatur in suo genere, non applicante, vel terminante tantum. Et hoc modo materia originat esse recipiendo illud, et sustentando, et reddendo incommunicabile, forma etiam dat esse determinatum, et cum tali vel tali specificatione, et actualitate, finis etiam attrahit et movet ad sui consecutionem in esse, et exemplar tanquam forma extrinseca dat esse, non informando, sed imitando, quæ licet fiant intervntu actionis efficientis, non tamen sub ratione efficientis; sed sub formalitate finalizandi, et exemplandi, ut suis locis dicitur.

## ARTICULUS II.

*Quotplex sit causa?*

Sit unica conclusio: Quatuor tantum sunt genera causarum. Ita Aristoteles in II Physicorum, textu LXVIII, et ibi D. Thomas lect. x et v Metaphysicæ, tex. II, lect. III, et col.

ligit Philosophus hunc numerum, ex numero questionum propter quid, nam propter quid querit de causa, sed ad questionem propter quid non possumus respondere, nisi aliqua dictarum causarum, scilicet vel propter formalem, ut cum querimus propter quid homo est albus, et dicimus, quia habet albedinem; vel per causam materialem ut cum inquirimus quare homo est corruptibilis, et respondemus, quia componitur ex contrariis; vel per causam finalem, ut cum inquirimus quare aliqui pugnant, et respondemus, ut dominantur; vel tandem per causam efficientem, ut cum inquirimus cur mare fluit et refluit, et respondemus, quia movetur a luna.

Eundem numerum causarum colligit D. Thomas supra, quia causa est id ad quod sequitur esse alterius, vel ergo consideratur esse causatum absolute et in se, vel ut accipitur, et fit ab alio. Si absolute, causatur per formam, quæ absolute constituit in esse: si ut accipitur, et fit ab alio, oportet quod de ente in potentia fiat ens in actu, sic enim sequitur esse de novo, quatenus id quod est in potentia, reducitur in actum ab eo quod est in actu, et sic oportet assignare duas causas, scilicet illam, quæ est in potentia ut susceptiva actus, et illam quæ causat reducendo in actum seu agendo, et prima est materia, quæ causal recipiendo, et secunda est efficiens. Rursus vero actio agentis debet tendere in aliquid determinatum ex vi alicujus in quo tendit, seu intendit tanquam conveniens, et hoc dicitur causa finalis, et ita sunt quatuor causæ et non plures, quia istæ sufficientiunt ad eujuscunque rei constitutionem in esse, et ad istas omnes reducibiles sunt, ergo non sunt ponendæ plures.

Sed inquirens, an ista divisio cau-

sarum sit analogæ vel univocæ? Aliqui ut Pater Suarez disp. XXVII Metaphysicæ, sect. I, num. IX, quem sequitur Cabero hic tract. II, disp. II, dubio ultimo tenent esse analogam, quia proprie convenit ratio causæ ipsi efficienti, aliis vero causis improprie, dicitur enim causa, quia influit esse, influxus vero non invenitur proprie in forma vel materia. Et præterea nomen causa est commune Deo et creaturis, substantiæ et accidentiæ, quibus nihil est univocum, sed analogum. Cæterum hoc solum probat, quod causa entitative considerata non est univocæ sed analogæ, et hoc non solum currit respectu causarum diversi generis quod solum inquirimus in præsentia, sed etiam in uno et eodem genere causæ, v. g. causa efficiens est analogæ ad causam efficientem creatam et incretam, et similiter se habet finis. Quare ex hoc non habetur resolutio difficultatis propositæ, an scilicet ista quatuor genera causarum sint univocæ in ratione causandi, sed quod sint univocæ in ratione entis creati vel increati. Illa autem ratio influxus non multum urget, quia ut supra dictum est, nomen influxus non sumitur stricte pro sola ratione actionis, sed prout dicit quodcumque tribuere, seu dare positive, quo sensu etiam ipsum recipere materiæ est quoddam dare, dat enim id in quo sustentatur et continetur forma et a quo dependet saltem in informando. Quod si aliqui sumunt influxum in stricta illa acceptione pro sola actione efficientis, non mirum quod sola causa efficiens dicatur causa proprie, et reliquæ improprie, sic enim non tam est dicere quod causa in communi est analogæ ad omnia genera causarum, quam quod denominatio causæ efficientis analogæ convenit aliis causis.

Quare loquendo de causa secundum proprium conceptum causæ,

non est cur dicamus esse analogam ad ista quatuor genera causarum, quidquid sit, an in ratione entis analogæ sit respectu causæ creatæ et incretæ, substantiæ et accidentiæ. Ratio est, quia in generibus istis causarum invenitur propria ratio causæ non participative, nec dependenter ab alia in participando rationem causæ, licet in exercendo causalitatem, una ab altera dependere possit, quia causæ ad invicem sunt causæ. At vero quod materia v. g. habeat vim recipiendi, quod est esse causam materialem, non participat a forma, vel ab efficiente, licet ab utroque dependet exercitium existendi vel recipiendi. Si tamen aliqua causa non solum in exercitio, sed etiam quantum ad ipsam rationem causandi participative et dependenter se habeat ad aliam, sicut causa principalis ad instrumentalem, tunc analogiæ de illis dicitur causa, quia instrumentalis reductive pertinet ad efficientem seu ministerialiter, quod est secundum quid.

Sed objicies contra numerum causarum, quia videntur plures causæ quam enumeratæ, nam imprimis obiectum est causa specificativa potentiarum et actuum et non efficiens quia non elicit illos, neque formalis quia non informat, sed extra illos est, neque materialis quia non recipit illos, neque finalis quia hæc non specificat in quantum finis, sed ut obiectum, ergo. Et idem argumentum potest fieri de idea, quæ est vera causa ideati, nec tamen pertinet ad aliquam ex assignatis ob eandem rationem. Item fundamentum est causa relationis, essentia est causa passionum, nec tamen efficiens, quia nec essentia nuda efficit, nec relationes efficiuntur, aliud autem genus causæ non potest illis competere: ac denique instrumentum non potest reduci ad

genus causæ efficientis, et multo minus ab alia, quia efficiens est, unde incipit motus; ab instrumento autem non incipit, cum supponat aliud prius a quo incipit moveri instrumentum, ergo est causa distincta ab omnibus.

Contra univocationem causarum arguitur: Materia et forma non sunt simpliciter causæ, ergo neque univoce. Antecedens probatur, nam imprimis non constituunt nec causant aliquid a se omnino distinctum, quia totum non distinguitur a partibus. Item materia est imperfectior forma, et composito, ergo non potest esse causa respectu illorum, quia ab imperfectiori non causatur perfectius, et similiter forma potius est effectus generationis quam causa generati. Denique, accidens analogice est causa respectu substantiæ, tum in genere causæ formalis, quia est actus et forma secundum quid, tum in genere causæ efficientis, quia operatur in virtute substantiæ et ut instrumentum ejus, tum in genere causæ materialis, quia accidens non est subjectum per se sed sola substantia.

Ad primum respondetur quod obiectum specificativum reducit ad causam formalem extrinsecam, quia specificat et determinat ipsum actum tanquam mensura, et ratio specificationis ejus, et distinguit unum actum ab alio; proprium autem est formæ et actus specificare et distinguere. Ad secundum exemplum de idea dicemus sequenti quæstione quod pertinet ad causam formalem extrinsecam, quia Philosophus in II Phys. et V Met. definit causam formalem *quod est species et exemplar*; species propter formam intrinsecam, exemplar propter ideam. Ad tertium exemplum dicitur, quod fundamentum ex quo resultat ratio, et essentia, ex qua dimanant passionibus non se habent proprie ut causa effi-

ciens, sed reductive; proprium enim effectivum relationis est efficiens fundamenti, qui enim facit album, v. g. facit consequenter relationem similitudinis ad alium album, et dissimilitudinis ad nigrum, sed quia istæ relationes fiunt mediante fundamento, cum quo connectuntur et a quo dependent, dicuntur resultare a fundamento in virtute efficientis: et similiter essentia se habet respectu passionum, non enim proprie producantur ab essentia, sed a generante essentiam, quia qui facit formam, facit consequentia ad formam, et ista connexio seu consequentia inter essentiam et passionem est ratio emanationis, et reducit ad causam efficientem, quia in virtute generantis essentiam dicuntur resultare ab essentia propter connexionem, ut q. XII amplius dicitur. Ad id quod dicitur de instrumento, respondetur quod reducit ad causam efficientem, quia licet ab illo non incipiat motus principaliter, et simpliciter, incipit tamen ministerialiter, et participative.

Ad secundum contra univocationem causarum, respondetur negando antecedens. Ad primam probationem dicitur, quod totum est simpliciter distinctum a qualibet suarum partium, et hoc sufficit ut quælibet illarum sit vera causa, et non requiritur quod ab omni suo causato distinguatur omni modo sed sufficit, quod ab eo, quod causat immediate distinguatur, non ab omni eo quod inde resultat, et sic forma distinguitur ab eo quod causat in materia, et materia ab eo quod causat in forma, licet id quod resultat ex utriusque unione non distinguatur realiter ab utrisque simul, de quo amplius dicemus sequenti articulo, solutione ad primum.

Ad secundam probationem dicemus sequenti articulo, quomodo non requiritur, quod causa sit sim-

pliciter nobilior suo causato in essendo, sed sufficit quod secundum quid, et hoc modo se habet materia respectu formæ, et totius, ut ibi explicabitur.

Ad id vero quod dicitur de causa dispositiva respondetur non esse ignobiliorum suo effectu formali, quem præbet immediate, scilicet reddere materiam dispositam; est tamen imperfectior respectu formæ, ad quam disponit, eo quod tenet se ex parte causæ materialis, quam determinat, et hæc potest esse imperfectior forma. Ad id quod dicitur, formam esse effectum generationis, respondetur esse effectum illius in genere causæ efficientis, sed tamen formam esse causam generationis in genere finis, quia est terminus, quem intendit.

Ad ultimam probationem respondetur quod illa differentia causarum in accidente et substantia, si sit tanta quod constituat accidens causam secundum quid, tollet univocationem, sed hoc non est ex vi istius divisionis causæ in quatuor genera causarum, sed ex vi alterius divisionis quæ etiam fieri potest intra idem genus causæ, v. g. efficientis secundum quid, vel simpliciter, ut instrumentum, vel causa principalis. Nec tamen semper constituit rationem causæ secundum quid, hoc quod est esse accidens, quia in modo causandi potest esse univocatio, licet res causantes non sint entia univoce, sicut calor efficienter producit alterum calorem ita principaliter et simpliciter, sicut homo hominem, et formaliter constituit calidum ita formaliter, sicut forma ignis ignem.

## ARTICULUS III.

*Utrum omnis causa debeat esse prior, perfectior, et distincta a suo causato?*

Hæ sunt principales conditiones requisitæ communiter ad causandum, et ideo de illis in hoc articulo simul agimus.

Respondeo ergo, et dico PRIMO: In omni causa necessario debet intervenire distinctio et prioritas aliqua naturæ, quæ nihil aliud est quam prioritas dependentiæ. Sumitur ex D. Thoma q. XXVIII de verit. art. VII, dicente: « Quod in quolibet genere causæ causa naturaliter est prior causato, » et in quolibet. V, artic. XIX, inquit: « Quod in ordine naturæ dicitur aliquid esse prius per comparisonem ad principia naturæ quæ quidem sunt quatuor causæ, unde secundum unumquodque genus causæ prius in ordine naturæ est, quod propinquius est causæ. » Ratio est manifesta, quia de essentiali ratione causæ est, quod sit principium a quo aliquid sequitur, et dependet in esse tanquam principium ab illo, sed ubi est principium, et principium, est ordo prioris et posterioris, quia principium exigit ordinem primi, et si est cum habitudine ad principium, se habet ut antecedens, et principium ut consequens, alias esset æquale, et eodem modo se habens cum ipso principio, et sic non esset dependens ab illo, quod est non esse causatum; ut ergo detur causatum, oportet quod principium sit antecedens, et principium consequens, quia sequitur ad illud, sicque habet ordinem prioris et posterioris, atque adeo distinguitur.

Est autem realis prioritas ista prioritas causalitatis, quia est rea-

lis dependentia et emanatio effectus a causa: licet verum sit, quod relatio prioritatis non semper realis sit, quia causa sæpe non existit in se, quando actu fit effectus, sed in sua virtute. Sed hoc etiam in ipsa durationis prioritatem invenitur; prioritatem enim unius partis non existit simul cum altera parte succedente, sed jam transit, nec habet relationem realem.

DICO SECUNDO: Prioritate dignitatis, et perfectionis non omnis causa est simplicitate nobilior et perfectior suo effectu, est tamen nobilior saltem secundum quid. Vocamus nobiliorem simpliciter in præsentem, quæ est nobilior secundum suam naturam, et esse absolute consideratum; nobiliorem vero secundum quid, id quod est nobilius non absolute, et in esse, sed in præciso respectu causandi. Et in hoc sensu hæc secunda pars est certa, quia omnis causa debet habere habitudinem causandi, hoc est influendi, seu tribuendi aliquid esse causato, in quo causatum dependeat ab ipsa; semper autem est aliquis perfectio dare, vel tribuere aliquid, et quod aliud dependeat a se: *Beatius est enim dare, quam accipere.*

Prima vero pars, quod non omnis causa sit nobilior suo effectu absolute et simpliciter, constat in primis ex D. Thoma I-II, q. LXVI, art. VI ad 3, ubi inquit: « Quod causa perficiens est potior suo effectu, sol respectu caloris, vel auri. At vero causa instrumentalis, licet sit alterius rationis ab effectu, tamen quia non est principalis, sed solum ministerialis non est necesse, quod sit perfectior suo effectu, neque enim effectus assimilatur instrumento, sed agentis principali, de quo D. Thomas in IV, dist. I, q. I, art. IV, q. I, ad 3. Nec tamen repugnat aliquando instrumentum, esse æque perfectum suo effectu, vel me-

ipsa forma et materia comparantur ad totum materialiter, et tanquam quid incompletum, et totum completum, et actu illas in esse, et sic est perfectius illis, quia omne totum est majus seu perfectius sua parte: et ita dixit D. Thomas in III, distin. II, quæst. I, art. III, quæstione III ad ultimum: « Quod nomine humanitatis intelligitur corpus et anima materialiter, sicut nomine totius intelliguntur suæ partes. »

Et hinc sumitur ratio hujus primæ partis, quia non omnis causa se habet ut perficiens et actans, sed aliqua se habent ut constituentes totum, vel disponentes ad illud et tales causæ non possunt esse nobiliores suo effectu, cum sint partes constituentes et omnis pars est minor suo toto, seu imperfectior, et similiter omnis dispositio ordinatur ad formam ad quam disponit, ut imperfectior ad perfectum, et ut via ad terminum, terminus autem cum in eo quiescat, est perfectior via, in qua est motus ad illum.

DICO TERTIO: Causa efficiens principalis, et per se aut est perfectior aut æque perfecta cum suo effectu. Conclusio est receptissima, et constat, quia causa principalis aut est univoca, aut æquivoca; si univoca est ejusdem rationis, et consequenter æque perfecta cum suo effectu, ut homo generat hominem. Si æquivoca, est excellentior, effectus sicut sol respectu caloris, vel auri. At vero causa instrumentalis, licet sit alterius rationis ab effectu, tamen quia non est principalis, sed solum ministerialis non est necesse, quod sit perfectior suo effectu, neque enim effectus assimilatur instrumento, sed agentis principali, de quo D. Thomas in IV, dist. I, q. I, art. IV, q. I, ad 3. Nec tamen repugnat aliquando instrumentum, esse æque perfectum suo effectu, vel me-

lius, sicut uno martello potest fieri alius, vel aliquid minus illo, puta clavus.

DICO QUARTO: Finis cujus gratia si ex natura sua sit finis, semper est nobilior suo finalizzato; secus vero si ex natura sua finis non sit, sed ex libito operantis, et similiter finis effectus non est semper nobilior suo finalizzato. Conclusio hæc est D. Thomæ de qua specialiter potest videri in II, distinct. XV, artic. I ad 6, ubi inquit: « Quod aliquid potest esse propter aliud dupliciter; uno modo quia ordinatur ad ipsum sicut ad finem proprium et principalem, et sic inconveniens est dicere, quod aliquid sit propter vilius se, ut luna et stellæ, propter vespertilioes, et noctuas, cum finis potior sit his quæ sunt ad finem. Alio modo potest dici aliquid esse propter aliud, cui ex ipso provenit aliqua utilitas, sicut posset rex dici propter rusticum, ex cujus regimine provenit ei pars. » Ubi signanter D. Thomas dicit, quia ordinantur ad ipsum ut ad finem proprium et principalem, ut excludat id quod est finis non per se, nec principaliter, sed per accidens ex sola voluntate operantis, ut si quis philosophetur propter divitias, vel audiat sacrum propter furtum, talis finis non est operis, sed operantis. Loquimur ergo de fine proprio et ex natura sua, de quo verum est quod Aristoteles II Phys. tex. XXXIII, refert ex quodam poeta dicente, quod finis non solum debet esse, quod est ultimum, sed id quod est ultimum et optimum; finis ergo in quo utrumque conjungitur, scilicet, optimum et ultimum, est finis cujus gratia, et talis finis debet esse nobilior, utpote aliquid optimum, et consequenter ut per se primo appetibile, et cujus gratia cætera appetuntur, appetibile autem respectu appetitus habet rationem perfecti,

et appetitus rationem perfectibilis, quia appetitus fundatur in potentia, qua tenditur ad perfectibile, ut ad terminum, in quo appetitus terminatur et perficitur. Comparatur ergo talis finis, qui ex natura sua finis est, ut ex natura sua perfectior ad ea quæ sunt ad finem. Finis autem qui solum habet rationem ultimi, sed non optimi, dicitur finis effectus, quia scilicet respectu efficientis comparatur, ut terminus in quo sistit actio, et sic cum effectus non sit nobilior suo efficiente, non requiritur quod talis finis sit perfectior suo finalizzato, scilicet suo efficiente.

#### *Solvuntur argumenta.*

Contra primam conclusionem arguitur: Quia materia et forma unitæ causant totum, et tamen non sunt priores toto neque ab illo distinguuntur in re, sicut supra probatum est quæst. VI, ergo non requiritur in omnibus causis prioritas respectu causati. Et confirmatur, quia quod est prius potest separari ab eo, quod est posterius, eo quod est dependens ab illo, materia autem et forma, ut unitæ non possunt separari a toto, nec totum ab illis, ergo non habent rationem prioris respectu totius quod est causatum. Confirmatur secundo, quia causa et effectus relative se habent, ergo sunt simul natura, quæ est proprietas relativorum, ergo unum non est prius natura altero.

Respondetur huic argumento supra quæst. VI, art. II, fuisse satisfactum. Et in summa dicimus, quod materia et forma unitæ causant totum per resultantiam causalitatis partium ad invicem, quia enim forma causat communicationem sui effectus formalis in materia, et materia sustentationem et terminatio-

nem communicabilitatis in forma, dicuntur causare totum, non autem intelligitur, quod postquam materia et forma sunt unitæ, iterum alia causalitate causant totum, sed ipsæ unitæ sunt totum.

Ad primam confirmationem respondetur quod illud quod est prius altero omnibus modis, et simpliciter in esse respectu alterius, separari potest ab illo, sed id quod est prius non simpliciter, neque omnibus modis respectu alterius, non sequitur quod possit separari ab illo, quia secundum aliam considerationem potest ab illo dependere, sicut causæ ad invicem sunt causæ, et non potest una se expedire a dependentia aliarum, præsertim materia et forma, quæ causant constituendo ipsum totum, a quo dependent, et non ita pure et perfecte causant, quod etiam quando causant, non indigeant simul causari, quia ad hoc causant ut recipiant esse mediante toto, quod constituunt, non vero præcise dant esse sicut causa efficiens; qui ideo debet simpliciter existere, ut efficienter causet.

Ad secundam confirmationem respondetur quod causa et effectus si sumantur relative formaliter, sunt simul natura; si fundamentaliter vel transcendentaliter sunt prius, ipsa enim relatio in tali prioritate causandi, et antecedentia fundatur, licet ut relatio realis sit, debeat utrumque existere. An vero omnis causa transcendentaliter respiciat effectum etiam Divina, tractari solet a Theologis I part. quæst. xxv. Sufficit advertere, quod omnis causa creata transcendentalem ordinem dicit ad effectum, quia non pure respicit ut effectum, sed etiam ut objectum, a quo dependet specificatio suæ operationis, et per quod perficitur in operando in actu. At vero causa increata nullo modo perficitur ex ef-

fectu, sed pure perficit illum et sic non habet transcendentaliter habitudinem ad ipsum, ut ad objectum specificans, sed pure ut ad effectum, et nihilominus tanto est major connexio inter Deum et creaturam, quanto magis creatura ab eo dependet, et non e contra; ad connexionem enim sufficit dependentia ex parte unius extremi tantum, non ex utroque, nam si ex uno tantum est, fortius dependet, et sic magis connectitur cum altero, quia dependet ut a superiori causa, et sibi magis intima et necessaria.

Secundo arguitur contra reliquas conclusiones: Causa materialis non semper est imperfectior suo toto, ut patet in composito accidentali; perfectior est enim ipsa substantia sustentans, quæ est ens per se, quam album, vel quod est ens per accidens, et in substantia virtualiter continetur ipsum accidens. Similiter e contra totum non est perfectius ipsa forma; solum enim excedit formam ratione materiæ; materia autem potius est causa imperfectionis, cum sit principium potentialitatis et limitationis in forma. Confirmatur, nam multæ causæ efficientes etiam principales, sunt imperfectiores suo causato, ut cælum est imperfectius vivente, quod causatur ex putrefactione, et animal generans aliquando est imperfectior generato, sicut ex cæco, aut manco nascitur videns et sanum, et ex intellectu et specie intelligibili nascitur conceptus, qui perfectius representat, et magis in actu quam species impressa.

Respondetur totum etiam per accidens esse perfectius ipsa causa materiali, quia includit illam et aliquid amplius, scilicet ipsum accidens, et sic ex parte rerum inclusarum perfectius est, licet ex parte modi componendi sit imperfectius ipsa substantia, quæ habet unita-

em per se. Si autem ipsa substantia, ex qua componitur ens per accidens eminentiori modo contineat illud accidens, quod ei adjungitur erit perfectior simpliciter ipso toto, non in quantum causa materialis præcise, sed quia talis substantia est, et tantæ eminentiæ, sed hoc ad causalitatem materialem non requiritur. Ad id vero quod dicitur de forma, respondetur falsum esse quod totum solum excedat formam ratione materiæ; sed etiam excedit ratione modi essendi, quia habet esse completum, et subsistens, ut quod, cum forma non habeat esse, nisi ut quo, et ut pars incompleta.

Ad confirmationem respondetur quod cælum non est causa principalis viventium, nisi ut motum ab intelligentia, a qua participat virtutem producendi vitam, vel sine aliis causis in viventibus imperfectis, vel cum aliis causis in viventibus perfectis, quæ propter perfectiores potentias, et organa, tam varia et perfectius disposita, requirunt causas magis determinatas et particulares, quam solum generalem virtutem cæli; et ita docet D. Thomas I p. quæst. lxx, artic. III ad 3: « Quod corpus cælestis, cum sit movens motum habet rationem instrumenti, quod agit in virtute principalis agentis, et ideo ex virtute sui motoris, qui est substantia vivens potest causare vitam. » Et idem habet in q. III de Poten. art. XI ad 13.

Ad id quod dicitur de animalibus imperfectis producentibus perfectiora respondetur quod si loquamur de perfectione individuali, ut quod animal cæcum producat videns et deforme pulchrum hoc non est mirum, quia licet personaliter sit imperfectum, potest tamen virtutem seminalem perfectam habere, et hanc sequitur perfectio in prole, et sic in quantum generans perfectius est. Si vero loquamur de perfectione

specifica, ut quando mulus procreatur ex asino et equa, in primis dici potest, quod mutus licet sit perfectior asino, non tamen utroque parente simul, qui est asinus et equa. Nec obstat, quod secundum Aristotelem tota activitas generantis est ex parte masculi; tum quia hoc est incertum, et forte falsum; tum quia licet secundum se ita sit, tamen virtus illa activa in tali materia qualem ministrat equa, et cum talibus accidentibus efficitur virtuosior et potentior, quam ut progreditur a solo illo masculo. Forte etiam mulus non est perfectior asino, quia licet aliquid participet de specie perfectiori, scilicet æque in quantitate, et viribus, aliisque accidentibus, simpliciter tamen in substantia est monstrum, et speciei imperfectioris, quam asinus.

Ad ultimum de specie intelligibili respondetur quod conceptus est perfectior specie impressa, quia non procedit a sola ipsa, sed ab ipsa ut subordinata intellectui, qui est vitalis potentia et perfectior conceptu. Et idem dicitur de actu respectu habitus, a quo procedit ut subordinato potentiæ, et auxilio Divino, quo potentia actui adequatur; imo in supernaturalibus, licet tota virtus producendi actum sit ab habitu, tamen ex intellectu et habitu fit unum conjunctum perfectius ipso actu præsertim addita specie impressa, quæ tenet se ex parte intellectus, et totum hoc simul excedit actum etiam visionis Divinæ, sufficit enim quod omnes causæ simul sint perfectiores effectui, non altera tantum.

## ARTICULUS IV.

*Utrum causæ ad invicem sint causæ?*

Pervulgatum axioma Philosophorum est, causas ad invicem esse

causas, idque expresse ponit Aristoteles in II Phys. text. xxx, et v Met. text II. Sed urget vulgaris difficultas, quia sequitur idem esse causam sui, præsertim supponendo quod qualibet causa causat ratione sui esse realis, quod non habetur secundum præcisionem intellectus, sed secundum id quod est in re. Et tunc fit argumentum ex alio axioma non minus certo, quia causa causæ est causa causati, ergo si materia est causa formæ in re, et rursus forma est causa materiæ, ergo materia est causa sui mediate. Nec potest dici, quod hoc axioma intelligitur de causis in eodem genere causantibus non in diverso. Contra enim est; tum quia non affertur ratio aliqua hujus restrictionis; tum quia oppositum constat exemplis, nam applicans ligna igni, dicitur esse causa combustionis, licet concurrat in genere applicantis, et lignum in genere causæ materialis, et ignis in genere causæ efficientis. Similiter pater generans filiam est causa nepotis geniti a filia, licet filia passive tantum concurrat in sententia Aristotelis et D. Thomæ, pater autem fuit causa activa filia. Et denique, Deus dans vocationem dicitur causa boni operis in voluntate licet vocatio concurrat objective, et Deus effective illam faciat.

Denique, sequitur vitiosus circulus in causis: Si enim materia causatur a forma, et rursus forma a materia, ergo vere dicimus ideo formam esse, quia materia sustentat illam, et rursus ideo sustentare materiam, quia a forma, informatur. Hoc autem vitium circuli affert implicationem contradictionis, quia quando dico formam causare materiam, supponitur formam esse, cum causalitas illa formæ sit realis, et existens, et consequenter ejus principium, quod est forma, existere: si autem illa eadem forma causatur

a materia, supponitur, quod non habet esse ipsa forma, siquidem causat ipsam, et materiam habere esse, quia causat realiter, ergo idem supponitur habere esse, et non habere esse respectu ejusdem.

Nihilominus hoc axioma expresse ponitur ab Aristotele, ut diximus, et exemplis ab ipso confirmatur, sicut constat, quod labor est causa bonæ valetudinis, quia efficit ipsam, et bona valetudo est causa laboris, tanquam finis ejus, et albedo est causa quod paries sit albus, et paries est causa quod albedo sustentetur in esse. Pro ejus autem explanatione supponendum est, causas intra idem genus causandi non posse ad invicem esse causas, sed solum procedit difficultas respectu causarum, diversi generis. Expressit hoc D. Thomas in quinto Metaphysicorum. lectione secunda dicens: « Secundum idem genus causæ aliquid esse causam et causatum esse impossibile. » Cujus tamen rationem reddere aliqui satis difficile putant, præsertim cum aliqua exempla oppositum suadeant, sicut in genere causæ efficientis possunt duo efficientia ad invicem aliquid causare, ut cum agens repatitur a passo, ut duæ manus se calefaciunt ad invicem, ut stomachus effective calefacit vinum, et rursus vinum effective calefacit stomachum, et similia alia passim reperiuntur. Nihilominus quando negamus causas ejusdem generis non posse esse ad invicem causas, intelligimus in eodem sensu, in quo affirmamus, causas diversi generis esse ad invicem causas, scilicet concurrente simul, et circa idem causatum: sicut materia et forma simul concurrunt, et efficiens et finis, quia etiam quando efficiens producit, vel assequitur finem, ab ipso finalizatur. Circa diversa autem vel diverso tempore non repugnat,

quod etiam in eodem genere causæ unum producat aliquid, et rursus illud productum seu passum, alitem effectum distinctum producat in suo agente, ut in exemplis allatis constat.

Ratio ergo, quare causæ ejusdem generis non possunt simul, et circa idem esse ad invicem causæ, ea est, quia causæ ejusdem generis requirunt easdem condiciones ad causandum, verbi gratia, in efficienti existentiam, in materia potentialitatem carentem forma, in forma actualitatem ut receptibilem. Si ergo ad invicem sint causæ, unaquæque haberet suas condiciones ut causaret, et non haberet easdem ut causaretur, et e converso, quod repugnat.

Dubium vero est, utrum inter omnes causas diversi generis possit dari mutua ista causalitas et quomodocumque? Nam aliqui Auctores existimant, causas non esse ad invicem causas, utraque causet realiter et existendo, sed ubi una intentionaliter, seu mediante cognitione causal, alia vero realiter, sicut finis respectu efficientis, exemplar respectu exemplati, materia et forma respectu compositi, nam compositum est finis materiæ et formæ. Et ita Philosophus in exemplis, quæ adduxit pro isto axioma solum posuit finem et efficiens. Cæterum inter materiam et formam non agnoscunt mutua causalitatem, neque inter dispositionem ultimam et formam, eo quod istæ causæ requirunt existentiam ad causandum, cum causent realiter: et sic idem sequitur inconveniens, ac si utraque esset causa efficiens, in qua apud omnes constat, quod efficiens, et effectus ad invicem non sunt causæ. Ita plures recentiores, et Cabero hic tract. II, disput. VII, dub. I. At vero P. Suarez disput. XXVII Met. sectione II, numero IV et V sentit materiam

non dependere a forma in suo esse, sed ut informata sit, et quia esse informatam requiritur, ut existat saltem secundum naturam, ideo dependet a forma tanquam a conditione, sine cujus actualitate naturaliter non potest esse, et hoc solummodo causatur a forma.

Nihilominus in sententia D. Thomæ simpliciter asserendum est, quod etiam inter causas realiter causantes, ut inter materiam et formam verificatur illud axioma, licet non secundum combinationem omnium causarum verificetur, nam materia et efficiens, forma et finis non sunt ad invicem causæ. De quo videri potest D. Thomas quest. XXVIII de Verit. artic. VII, et opus. XXXI, §. II, sed luculentius in V Met. lect. II, ubi sic inquit: « Sciendum est, quod cum sint quatuor causæ, earum duæ sibi invicem correspondent, quia efficiens est principium motus finis autem terminus, et similiter materia et forma, nam forma dat esse, materia autem recipit. Est igitur efficiens causa finis; finis autem causa efficiens: efficiens est causa finis quantum ad esse quidem, quia movendo perducit efficiens ad hoc ut sit finis, finis autem est causa efficiens, non quantum ad esse, sed quantum ad rationem causalitatis; nam efficiens est causa in quantum agit, non autem agit nisi causa finis. Unde ex fine habet suam causalitatem efficiens. Forma autem et materia sibi invicem sunt causæ quantum ad esse; forma quidem materia, in quantum dat ei esse actu; materia vero forma in quantum sustentat ipsam. » Ita D. Thomas, ex cujus verbis colligitur, quod causæ sunt ad invicem causæ, vel quantum ad esse, vel quantum ad causalitatem, et quod materia et forma sunt ad invicem causæ quantum ad esse. Et secundo colligitur, quod non oportet causas esse ad in-